



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. XIII. No obstare antiquitati huius Ordinis, præcedentiam aliorum
Ordinum mendicantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

CAPVT XIII.

Non ob stare Antiquitati huius Ordinis præcedentiam aliorum Ordinum mendicantium.

Decimotertiò, quidam scioli obijciunt, quod si tanta esset antiquitas Ordinis Carmelitani, reuera in actibus publicis deberent Carmelitæ præcedere, & præferri aliorum Ordinum Religiosis: è contra tamen fit, quod Prædicatores, Minores, & Augustiniani eis præferuntur in capella Summi Pontificis, & in publicis processionibus. Huic obiectioni congruè satisfacit speculum Ordinis Carmelitarum *Tractat. super informatione B. Mariæ de monte Carmelo artic. I.* ubi hæc verba lego: *Prædicatores, & Minores tempore Innocentij Pape III. in Cismarinis partibus, videlicet in Tholosa, & Assisio inceperunt, qui continuo per diuersa regna Cismarina multiplicati, ac prædicationibus, & doctrinis, in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam foundationem habebantur venerabiles, & famosi. Fratres verò prædicti B. Mariæ de monte Carmelo, primum tempore Innocentij IV. Papa propter persecutionem Saracenum in terra sancta, ubi ipsorum Religio fundata fuerat ab antiquo: ad partes Cismarinas se transferentes potius extra ciuitates, & frequentiam hominum, modo eremitico, quo fecerant in terra sancta, quàm intra ciuitates cum hominibus habitare elegerunt per tempora longiora. In cuius euidentiam prædicti Fratres conuentus suos, quos primo fundauerant in partibus Cismarinis, remotè à ciuitatibus, & frequentia hominum construxerunt. Qui postea per tempora longiora doctrinis, & prædicationibus, utilitatè proximorum proficere cupientes, intra ciuitates, & hominum frequentiam habitare inceperunt, & multorum locorum suorum, quæ fundauerant remotè à*

Yll 5

ciui-

Concil.
Lugd.

ciuitatibus, translationem ad ciuitates à Summis Pontificibus impetrauerunt. Et idè Prædicatores, & Minores, tanquam prius in hominum frequentia conuersantes, & magis, & prius noti præponuntur dictis Fratribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo. Hæc ibi. Non obstante autem prædicta præcedentia, Ordo Carmelita tanta fulget antiquitate, ut de ipsius vetustate in iure non extet memoria; cum tamen de illa mentionem faciat: etenim in decreto Lugdunensis Concilij, prohibente ne Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense adinuenti, ulterius procederent absque Sedis Apostolica facultate; postea verò facit hanc exceptionem in hæc verba: Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines propter eorum euidentem Ecclesia utilitatem, presentem non patimur constitutionem extendi: ceterum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere. Hæc ibi. Ex quibus apertè constat, quòd si tunc Religio Carmelitana non censeretur à Concilio Lugdunensi approbata, reuera per suum generale decretum illam extinxisset, & quamuis quidam dicant, non esse legendum in solido, sed in solito, nihil prorsus refert hoc, vel illo modo legi, quia si solitus eius status non fuisset approbatus, minimè Concilium pateretur illum ultra progredi, cum & approbatas Religiones post Concilium Lateranense omninò deleuerit. Ecce fatetur, Concilium Lugdunense præcessisse Religionem Carmelitarum Concilium Lateranense, nec assignat certum tempus sui processus.